

Latinitati Vivae Provehendae Associatio & Societas Latine Loquentium Cracoviensis
& Institutum Philologiae Classicae Universitatis Jagellonicae
invitatnt ad:

Seminarium Cracoviense II

quod fiet Cracoviae diebus: 29. men. Iul. – 5. men. Aug. anno MMXII

Cuius argumentum generale:

“Fili filiaeque illustres terrae Cracoviensis”

seu de humanistis et scientiarum investigatoribus, qui Cracoviae floruerunt

Non omnibus quidem patet Poloniam fuisse olim Latinitatis veram ac firmam sedem, quae multos illustresque filios humanitatis ac Latinae eruditionis congregavit aluitque cum in Universitate Cracoviensi tum inter regum Polonorum episcoporumque Cracoviensium familiares, nec dignum videtur illorum nomina enumerari, ne forte quidem accidat, ut quodam omisso vel inaccurato ordine prolato deminutio fiat ei honori seu claritati. Quaedam autem utilitatis causa enumeranda putamus, ut corda mentesque ad illorum rerum gestarum, operum nec non vitae curriculum studia suscipienda alliciantur.

Primae causae, qua Romani ducti animos in Slavorum terras advertere, sucinum fuit, cuius magna copia Mare Balticum abundat, nec improbable videtur hoc primae etiam fuisse facultati, qua Slavi Romanorum sermonem audirent. Re vera tamen Latinitas una cum Christianitate a sacerdotibus monachisque Sanctae Romanae Ecclesiae in terras Polanorum, a quibus Poloni originem suam provenire arbitrantur, illata est. Cum ergo Mescio I – primus dux Polanorum – anno 966 ab episcopo Iordano Baptizatus esset, Latinitas in Polanorum regionem diffundi coepit; illo ex tempore oriundum est primum documentum – Latine conscriptum – in quo Polanorum fines describuntur, quod *Dagome iudex* vocari solet. Temporis decursu in Polonorum finibus Latinitas adeo floruit, ut altera, seu vero principalis, lingua officialis Regni Poloniae fieret. Nec ergo admirandum sit, quod tam multa Latinitatis monumenta non modo in architectura sed etiam in litteris Polonorum inveniantur. Inter priscos et maximi momenti chronicarios, qui res gestas Polonorum primi conscripserunt, enumerandi sunt: Gallus Anonymus, **Ioannes Dlugossius** seu alias **Longinus** (qui primus in Poloniam opera Livii intulit eiusque stili exemplum investigans imitansque Polonorum historiam conscripsit; Cracoviae vixit hicque sepultus est), **Matthias de Miechow** (Dlugossii successor), **Jancone de Charnekow** [Pol: Janko z Czarnkowa] (qui in Cracoviensi *Studio Generali* anno 1364 condendo, quod fuit primum nomen Universitatis Jagellonicae, magnam auctoritatem habuit), **Martinus Kromer** (qui tractatus de musica, de moribus et situ Polonorum conscripsit, qui etiam epitaphium Copernici fundavit), **Matys Stricovius** [Pol: Maciej Strykowski] (qui nonnulla tantum Latine scripsit), **Ladislaus de Gielniow** [Pol: Władysław z Gielniowa] (qui etiam poemata scripsit, e.g. *Taxate penitencie metricae* – 114 hexametris) et eminentissimus magister **Vincentius Cadlubonis**, qui sua in *Historia Polonica* multas res curiosas incredibilesque narravit, e.g. Polonos imperio Alexandri Magni imminuisse, quos postea etiam Iulius Caesar timens terras cis Germaniam positas aggredi ausus non sit.

Ne quidem regum Polonorum Latinam eruditionem omittam, qui apud supra enumeratos chronicarios studiis Latinis operam dedere; hic exemplo afferam unum: Boleslaum II, cuius inter res gestas crudelis interfectio sancti Stanislai, episcopi Cracoviensis (cuius splendidissima confessio media in ecclesia cathedrali posita est) eminet, cuius sceleris rex deinde accusatus aptissima oratione Latina sese defendit (secundum Cadlubonis rei descriptionem) *potificem illum vocans non pontificem, pistorem non pastorem, pressulem a pressura non praesulem, opiscopum ab opibus non episcopum*. Cracovia non modo tamen regibus, episcopis et chronicariis eminebat, sed etiam poetis, inter quos tantum nonnullos enumeremus laureatos: **Clementium Ianicium**, **Andream Cricium** (Latinarum inscriptionum sacelli Sigismundi auctorem), **Matthiam Casimirum Sarbievium**, **Ioannem Cochanovium**, et **Philippum Callimachum Experientem**, nec non astronomis professoribusque

Universitatis Iagellonicae, quorum nonnullos etiam enumeremus: **Bernardum Wapowski** (chartographum ethnographumque) **Nicolaum Copernicum** et eius professorem **Adalbertum de Brudzewo**, in *Sodalitate Litteraria Vistulana* consociatos: **Laurentium Corvinum Novoforensem** (qui Copernici studiorum laudem poetice conscripsit) et **Celtem** alias **Conradum Protacium Iohannem de Herbopoli**. Hos inter illustrissimos viros enumerandos ne durum alchemistarum quidem oblivissemur: **Michaelum Sendivogium**, qui alchemista aulicus fuit regis Sigismundi III Vasae, cuius causa incendio ingenti castellum regale magnaue pars Cracoviae conflagrata sunt; et clarissimum Iohannem Georgium Faustum, qui in Universitate Iagellonica studuisse traditur, cuius vestigia Musasque quaerens Iohannes V. Goethe anno 1790 Cracoviam visitavit.

Ne omnes quidem enumeravimus, qui cum mediis aevis tum renascentium litterarum tempore Cracoviae vixerunt Latinitatem humanissime colentes. Cum autem ad XVIII saeculum pervenimus, breviter ad tempora nostra mentem contendamus: saeculo illo exeunte magna calamitas Polonis illata est, ne quidem ab alienis populis causata, sed a vernacula equitate, quae nec privilegia adimenda nec iura reformanda (nobilitatis auctoritatem lucrumque diminutura) ullo modo pati parata in prisco rerum statu restituendo auxilium apud Russorum imperatricem petere coepit. Imperatrix autem hac data facultate aptissime utens anno 1772 primam Poloniae partem exercitu aggressa occupavit, deinde brevi tempore foedere inter Russiam, Austriam et Prussiam facto Polonia tres in occupationis partes divisa est, quae divisio ab anno 1795 usque ad 1918 Poloniam de tabula geographica Europae demovit. Hoc tempore ambae linguae officiales Poloniae, scil. Latina et Polonica, sermone Russico et Germanico substitutae sunt – itaque octo fere saecula Latinitas linguae officialis Polonorum magistratus, scientiae, historiarum et poeseos munere functa est. Illo ergo divisionum seu occupationum tempore, cum philologiae classicae disciplina in Europa maxime floreret – praesertim in regione sermonis Germanici, Poloni insurrectionibus et rebellis studuerunt, quibus amissam libertatem recuperari sperarent. Hoc temen tristissimum nostrae historiae tempus bona etiam emolumenta attulit – tunc enim Polonos coniunxit firmiterque consociavit renata quasi conscientia nationalis propriae identitatis, quae antea plus in nobilitatis moribus traditionibusque floruit valuitque, quam apud simplicem populum – tunc etiam conscriptum est carmen, quod deinde hymnus Polonorum factum est. Quamvis vero Latinitatis usus illo ex tempore in Polonia valde diminutus sit, ne quidem extinctum eius studium. Hic etiam Cracovia Leopoldisque maxime eminere – Latinitatis Graecitatisque cathedrae, ex quibus tunc, quod erat, seminarium philologiae classicae constabat, clarissimis a professoribus gubernabantur: **Casimiro Morawski**, **Adam Stephano Miodoński** (qui sesemet ipsum Mellitum Latine vocabat), **Thaddaeo Sinko** et aliis, qui omnes maiorem partem operum suorum Latine conscripsere. Hi professores eminentissimi non solum in Polonia sed etiam in Europa studiis suis enituere – e.g. Adam Stephanus Miodoński, qui etiam professoris munere in Universitate Friburgensi functus est, tali Latinissima elocutione praeditus erat, ut professores Friburgenses eum audientes saepe obstupescerent. Miodoński quoque cooperatione cum prof. Wölfflino floruit: i.a. in *Thesaurio Totius Latinitatis* conscribendo et articulis suis in periodico *Archiv für lateinische Lexicographie* saepe publicatis.

Poloni denique libertatem recuperavere, cum primum bellum universale extinctum esset. Etiam illo tempore interbelliano Latinitatis studia in Polonia valde floruerunt, nec post secundum bellum universale extincta sunt. Hic vero ultimum exemplum afferam: prof. **Miecislaum Broscium**, qui permulta epigrammata et poemata Latina conscripsit – cuius de poesi acroasin festivam in inauguratione *I Seminarii Cracoviensis* anno 2007 prof. noster clarissimus **Iosephus Korpanty** habuit.

Ne omnia quidem de Polonorum historia Latinitate vero contexta hic dicta sunt – quamvis fortasse ea, quae demonstraverimus, complura seu non accurate prolata esse videantur – quod ignoscat quaesumus Benevolus Lector – haec omnia praebere voluimus rei semina, quibus corda mentesque ad eminentissimorum humanistarum scientiarumque investigatorum vitarum operumque studia suscipienda allicerentur.

(crassa littera hi notati sunt, qui Cracoviae vixerunt quorumque Latina opera legi possunt)